



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Index Conclusionum De Jure.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

I N D E X

CONCLUSIONUM DE JURE.

De Essentia Justitiæ.

Justitia pro genere dicitur quod sit virtus. D. 1. Ipsa autem virtus latissime accepta est principium motus vel actionis, ibidem. Strictius, est dispositio perfecti ad optimum ibidem. Vel ultimum potentia, ibidem. Pressius autem illam definiendo. Est perfectio subiecti in ordine ad actum, ib. Dividitur virtus ut sic in virtutem materiae & formae, ibidem. Hæc in virtutes physicas & intentionales, ibidem. Intentionales in intellectuales & morales, ibidem. Morales in virtutes in ordine ad se aut ad alterum. Probatur divisio virtutum intellectualium ib. Itemque moralium. Dividuntur item virtutes in virtutes spectantes medium rationis; & spectantes medium cir. ibidem.

Justitia est proprie virtus. Eaque moralis, ibidem. Est item ad alterum. Si quis sibi ipsi velit ex motivo justitiæ satisfieri, faciet actum justitiæ. Non tamen erit sibi justus.

Justitia particularis est specialis virtus. Imò & generali convenit esse speciale virtutem.

Quod justitia sit virtus præstantissima, non recte ex eo arguitur, quod sit magis conspicua & magis plausibilis, ibidem. Sed quia est virtus nobilioris potentia præ aliis virtutibus, in eaque subiectatur, & quia usa sui & obligatione præcellit.

Justitiæ Objectum materiale non sunt passiones. Sed materiale proximum sunt actiones externæ D. 1. Differentia autem ultima desumitur ex ejusdem formali quod est honestas æqualitatis, ad jus ulterius. Hinc ex dictis, definitive, justitia, est virtus, honestum æqualitatis, ad jus alterius intendens. Retineri etiam potest & illa definitio Ulpiani. Quod sit constans, & perpetua voluntas, jus suum, unicuique tribuendi.

Medium rei non recte in hoc explicatur, quod non indigeat peculiari rationis indagine D. 1. Rectius definitur quod sit interjectum inter plus & minus rerum. Medium autem rationis est interjectum inter plus & minus spectans præcisè rationem, vel, medium rei, est id quod in rebus nec superat ut excessus, nec minuit ut defectus. Medium autem. Rationis est mediocritas ratione præfinita, seu quando oportet & ob quæ, & erga quos, ut inquit Aristoteles. Prius illud, idem est omnibus; secus posterius.

De remoto objecto Justitiæ. Dominio. Lege.

Justi variae sunt acceptiones. Varia item divisio juris. Sed sumitur etiam jus; pro objecto remoto justitiæ. Hoc tamen jus, non recte explicatur per Retaliationem, neque per Prælationem moralem, secundum quam in usu rei hic debeat præferri alteri; Neque per legitimam potestatem ita aliquid exigentem, ut si absque debita causa illi contraveniatur, fiat injuria. Neque per liberam facultatem disponendi de re aliqua in utilitatem propriam non impedibilem licite ab aliis. Neque per designationem terminorum libertatis, in usu rerum secundum prudentiam monasticam. Sed recte explicatur per hoc ex Aristotele jus, quod sit indigentia secundum quod est principium, suo superabundanti, explendi indigentiam, alterius. Ex mente autem Sancti Thomæ, per hoc quod sit ratio quare hoc quidem suum est, ibidem.

Dominii communes divisiones & definitiones admittimus. Divisio dominiorum orta est primum ex dispositione juris gentium ibidem. Etiam in rebus uno usu consumptibilibus, dominium distinguitur ab usu. In instanti donationis, non tantum dominium in solidum, sed etiam perfectissimum. Non tantum virtuale, sed etiam formale. Non tantum radicale & conditionatum, proveniens ab extrinseco & lege favente, sed etiam completum & proveniens à forma morali intrinseca, habetur in donante. Consequenter, tam donans, quam donatarius, in instanti donationis est Dominus.

Jus pro lege sumptum non recte definitur, quod sit præceptum stabile, justum, commune, ad faciendam vel omittendam rem aliquam obligans. Nec item recte definitur (si definitio ut sonat accipiat) quod sit regula, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Commodius dicitur. Quod lex sit mensura actionum moralium naturæ intellectualis creatæ. Leges sunt multiplices. Distinguuntur inter se jus naturale & Gentium. Deus in legibus naturæ non potest dispensare.

De subiecto Justitiæ.

Subiectum receptivum justitiæ est voluntas. Subiectum denominationis, naturæ intellectuales obligabiles. Nec potestatem suam abso-

R. P.
H. M. LOD
AND WSKI
Tom 3. et 4.
D. VI
6

INDEX CONCLUSIONUM.

absolutam, nec moralem ordinariam, ut vocant, potest Deus obligare creaturam. Consequenter nec potest haberi iustitia rigorosa Dei ad creaturam. Pressè loquendo divisio illa in potestatem absolutam & moralem ordinariam, nulla est, tenetque consequentia ab inobligabilitate prioris, ad inobligabilitatem posterioris.

Etiā creaturæ ad Deum non datur stricta iustitia.

Inter Angelos ad invicem. Itemque Angelos & homines potest dari stricta iustitia. Secus inter Patrem & Filium. Dominum & servum, conjuges item ibidem, si reduplicativè spectentur.

Inter quæ subjecta non intercedit perfecta iustitia nec intercedit propria.

De Speciebus Iustitiæ.

Iustitia legalis non est rigorosa iustitia. Objectum ejus non est peculiaris conjunctio cum communitate. Sed respicit honestatem æqualitatis in satisfaciendo juri exigenti bonum communitatis.

Datur defacto distributiva. Distinguitur realiter à commutativa. Non est tamen distributiva rigorosa iustitia. Requirit plures personas tanquam Objectum comparabile. Objectum illius non est componere jus commu-

nitatis cum jure privati. Nec respicit tanquam ultimo formale æqualitatem Geometricam. Nec respicit æqualitatem dati & acceptatione cujus sit, ut in contractu & commercii humanis aliquis non patiatur damnum. Sed honestatem æqualitatis ad jus partium in bona communia. Distributiva per prius attendit ad rectam habitudinem ipsius communitatis erga suas partes, quam ad rectam habitudinem partium inter se. Ad eam spectat æqualitas distributionis onerum.

Vindictiva est virtus in specie iustitiæ. Sed non rigorosa. Licet possit nullo interdum modo spectare ad iustitiam. Diverso respectu aliquando spectat ad distributivam, diverso ad commutativam.

Probabilius est spectata ratione, quod iudex non possit damnare secundum allegata & probata, quem aliàs privata notitia evidenter novit innocentem.

De Opposita Iustitiæ injustitia?

Datur aliquod vitium speciale injustitiæ. Actus injuriandi qui procedunt ex complacentia indirecta iustitiæ, procedunt ex habitu injustitiæ. Sibi ipsi nemo potest injuriam facere. Nec alteri scienti & volenti.

